



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Articulus Præambulus. De variis acceptationibus & divisionibus Gratiae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)



R. P.

EDMUNDI SIMONNET

Societatis JESU Presbyteri

TRACTATUS SEXTUS

DE GRATIA.

ARTICULUS PRÆAMBULUS.

De variis acceptionibus & divisionibus
Gratiæ.



GRATIA in genere est donum à Deo gratis datum, juxta illud Apostoli Rom. cap. 11. Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ facti sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia. Hinc sic discit S. Augustinus enarrat. in Plal. 43. Non fuisti, & factus es, quid Deo dedisti? Malus fuisti, & liberatus es, quid Deo dedisti? quid non ab eo gratis accepisti? Merito & gratia nominatur, quia gratis datur.

Gratia dividi potest in naturalem & supernaturalem. Naturalis est beneficium quodlibet ordinis naturalis, gratis collatum, ut beneficium creationis: Etsi, inquit S. Augustinus epist. 49. quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus, nec ita essemus aliquid, ut cadaver, quod non vivit, & arbor, que non sentit, aut pecus, quod non intelligit: sed homines, qui & essemus, & viveremus, & sentiremus, & intelligeremus; & de hoc tanto beneficio Creatori nostro gratias agere debeamus: unde merito & ista gratia dici potest, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.

Itaque creatio, & naturalia omnia, quæ à Deo in creatione accepimus, jure merito vocantur gratia; quia non præcedentium aliquorum operum meritis retribuntur, sed gratuita Dei bonitate donantur. Nec Patres reprehenderunt Pelagianos, quod ejusmodi gratias assererent, & liberum hominis arbitrium hoc gratiæ nomine insignirent, sed quod non etiam confiterentur alias gratias interiores supernaturalis ordinis, quales constituendas esse fides docet.

Et verò de his, non de illis gratiis Catholicos inter & Pelagium ejusque gregarios agebatur, ut testatur S. Augustinus eodem loco. Nam sic profequitur: Alia est tamen (gratia) qua prædestinati vocamur, Simonnet Theol. Tom. II.

justificamur, glorificamur, ut dicere possimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. De hac gratia questio vertebatur, quando ab iis, quos Pelagius graviter offendebar, atque turbabat, dicebatur ei, quod eam suis disputationibus oppugnaret, quibus assereret non solum ad faciendam, verum etiam ad perficiendam mandata divina per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam.

Quando igitur Doctores Catholici contra Pelagium de gratia disputant, loquuntur de gratia supernaturali, non de naturali, de qua nulla potest esse controversia: talem enim, qualem asserunt Catholici, Pelagius cum suis asseruit, & asserendo errores suos regere conatus est.

Gratia supernaturalis est beneficium supernaturalis ordinis, gratis à Deo collatum. Dicitur autem esse beneficium supernaturalis ordinis, quia neque ad constituendam conservandamve naturam necessarium est, neque ex ea fluit, neque ei debetur ullo modo, sed omnem ejus sive physicam sive moralem superat exigentiam. De gratia sic accepta igitur in hoc Tractatu, & deinceps nuncupabitur Gratia sine addito, quia superioris ordinis est ad alteram, quæ proinde jure merito non dicitur gratia, nisi secundum quid, & cum addito diminuyente, nempe naturalis.

Gratia itaque dividitur in eam, quæ ex pura liberalitate, & eam, quæ ex pura misericordia confertur. Prima est ea, quæ neque ex meritis Christi, neque indignis & peccatoribus, sed tantum non dignis & non justis, ante absolutam cujuscumque operis sive boni sive mali prævisionem in æternitate præparata, in tempore datur. Talis fuit gratia Angelorum, & originalis justitia primo homini in creatione collata, quibus respectu humanitatis, quam Verbum in utero Virginis assumpsit, sibi que hypostatice copulavit, accenseri potest gratia unionis cum aliis omnibus donis, quæ hanc unionem naturaliter consecuta sunt. Sic intelligendus est sanctus Augustinus, cum ait libro de prædestinatione Sanctorum, cap. 15. Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus: qui ut hoc esset, qui-

A

bis

bus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, que in illo est, comparavit? In eodem sensu gratiam accipit Scriptura, cum ait Joan. cap. 1. Vidimus... plenum gratia & veritatis. Et Luc. cap. 2. Gratia Dei erat in illo.

Secunda est ea, quæ post Adami & totius in Adamo humani generis lapsus absolutam prævisionem, intuitu meritorum Christi absolutè futurorum, in æternitate præparata est indignis & peccatoribus. Hæc gratia propriissimè & strictissimè gratia dicitur, quia non solum est donum prorsus indebitum, & omnem naturæ excedit exigentiam, nullumque opus bonum aut existens, aut absolutè prævisum, ex parte nostri supponit, sed etiam peccatoribus absolutè prævisis, adeoque positivè indignis præparatur in æternitate. De hac gratia loquitur passim in Epistolis suis Apostolus. Sic verbi gr. Rom. cap. 3. dicit: *Non enim est distinctio* (inter Judæos & Gentiles,) *omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, que est in Christo Jesu.* Non contentus dixisse, *iustificati gratis*, addit Apostolus, *per gratiam ipsius*; quia peccavimus omnes, & omnes egemus Redemptore, cuius meritorum intuitu nobis peccatoribus, & omni beneficio divino indignis, misericorditer donetur gratia illa, sine qua à statu peccati transire ad statum iustitiæ, & liberati à servitute dæmonis, libertatem filiorum Dei consequi non possumus.

Gratia sic propriissimè sumpta dividitur in æternam & temporalem. Æterna sunt omnes illi actus Deo immanentes, quibus propter merita Christi prædestinata, & absolutè prævisa, nobis ab æterno, post lapsus Adami, & ante cuiuscumque salutaris operis absolutam præscientiam, Deus misericorditer voluit salutem, & ad hunc finem præparavit media seu beneficia, aliis quidem efficacia, & cum assecutione gloriæ infallibiliter connexa, aliis verò ad consequendam gloriam idonea, & verè sufficientia, prout aliis efficaciter & absolutè, aliis verò sincerè quidem, sed non absolutè voluit gloriam.

Gratia temporalis sunt ipsa media salutis, qualia potissimum sunt beneficia vocationis, iustificationis, & finalis perseverantiæ pro electis, quæ nobis gratuito & misericorditer conferuntur in tempore, vi amoris illius, quo Deus gratuito & misericorditer dilexit nos in æternitate. Gratia temporalis subdividitur in gratis datam, & gratum facientem. Gratia gratis data dicitur ea, quæ ad aliorum, gratia verò gratum faciens dicitur ea, quæ ad propriam salutem præcipue confertur. De prima loquitur Apostolus 2. Cor. cap. 12. cum ait: *Divisiones gratiarum sunt &c.* De secunda 2. Cor. cap. 12. his verbis: *Sufficit tibi gratia mea.*

Nota 1. Gratia gratis data sic dicitur, non quòd ipsa sola, & non etiam gratia gratum faciens gratis detur; sed quia proprio & specifico nomine caret; unde tribuitur ei nomen genericum, quod etiam convenit gratiæ gratum facienti.

Nota 2. Gratia gratis data dicitur, non unicè, sed præcipue conferri ad salutem aliorum; quia homini non solum ad aliorum, sed etiam ad propriam salutem confertur, sic tamen ut primariò spectet utilitatem eorum, qui per hominem convertendi sunt ad fidem, vel ad poenitentiam: secundariò verò propriam ipsius utilitatem, quatenus donis illis, in quibus gratia gratis data consistit, in procuranda aliorum ad fidem vel ad poenitentiam conversione, solenter utendo, servi boni ac fidelis laudem mereri, & mercedem consequi potest.

Similiter gratia gratum faciens dicitur, non unicè, sed præcipue homini conferri ad propriam salutem; quia homini non solum ad propriam, sed etiam ad aliorum salutem confertur, sic tamen ut primariò spectet propriam illius, cui confertur, utilitatem, secundariò verò utilitatem aliorum, quatenus confertur homini, ut ipse iustus & sanctus evadat, ac deinde alii bona ipsius opera, viteque sanctimoniam contemplando, provocentur ad ejus imi-

tationem, & ad propriæ salutis, perfectionisque amorem accendantur. Adde quòd, quò quis iustior est & sanctior, eò ad aliorum salutem perfectionemve procurandam aptior est.

Nota 3. Apostolus 1. Cor. cap. 12. gratias gratis datas numerat novem, sapientiam, scientiam, fidem, genera linguarum, interpretationem sermonum, gratiam sanitarum, operationem virtutum, prophetiam, & discretionem spirituum: *Alii quidem*, inquit, *per Spiritum datur sermo sapientiæ, Alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum. Alii fides in eodem Spiritu. Alii gratia sanitarum in uno Spiritu. Alii operatio virtutum. Alii prophetia. Alii discretio spirituum. Alii genera linguarum. Alii interpretatio sermonum. Hac autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult.*

Sapientia est intelligentia altissimorum mysteriorum, Trinitatis scilicet, Incarnationis, &c. Scientia, intelligentia eorum, quæ ad mores & vitam rectè instituendam pertinent. Fides, donum intrepidè prædicandi veritates evangelicas. Genera linguarum, donum loquendi variis linguis. Interpretatio sermonum, donum exponendi obscuriora Scripturæ loca. Gratia sanitarum, donum sanandi languores & morbos corporis. Operatio virtutum, donum pattandi miracula alia majora, ut dæmones ejicendi, mortuos excitandi, &c. Prophetia, donum futura prædicandi. Discretio spirituum, donum discernendi cogitationes mentis, & intentiones cordis.

Præter has novem gratias gratis datas, enumerat alias Apostolus Rom. cap. 12. nempe donum ministrandi, donum docendi, donum exhortandi, donum distribuendi, & donum gubernandi: *Habentes autem*, inquit, *donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes, sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine.*

Nota 4. Gratia gratis data possunt ab invicem separari, & reipsa separari docet Apostolus, cum ait: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, &c.* Item separari possunt à gratia sanctificante, ut patet exemplo Balam & Caiphæ, qui futura prænuñciarunt, quamvis essent homines mali. Regulariter tamen gratiæ illæ non nisi iustis & sanctis hominibus conceduntur. Hinc is, qui cæcus natus fuerat, Joan. cap. 9. dicit: *Scimus quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Porro ex gratiis gratis datis aliquæ consistunt in habitibus permanentibus, ut sapientia, scientia, genera linguarum, &c. aliquæ in motionibus transeuntibus, ut prophetia, discretio spirituum, &c.

Gratia gratum faciens subdividitur in habituales & actuales. Habitualis est ea, qua homo fit intrinsecè & permanenter habilis ad exercendos actus divini ordinis, dignus Dei amicitia, & ejus adoptione, &c. & consistit saltem potissimum in collectione virtutum theologicarum, fidei, spei, charitatis, cujus collectionis pars præcipua est charitas. De gratia habituali suo loco agetur. Gratia actualis est auxilium transiens.

Gratia actualis subdividitur in externam & internam. Externa sunt piæ exhortationes, bona exempla, aliaque innumera, extrinsecus advenientia, quibus, adjuncta interiore gratia, excitamur, vel adjuvamus ad bonum agendum, malumve fugiendum. Interna, quæ propriè & simpliciter dicitur gratia actualis, est internum auxilium transiens, quo Deus nos interius partim excitat, partim adjuvat ad bene, & sicut ad salutem oportet, operandum.

Itaque gratia actualis interna subdividitur in excitantem & adjuvantem. Gratia excitans est ea, qua Deus interius pullat voluntatem torpentem, eamque sollicitat ad bonum agendum, vel malum fugiendum; & du-

& duplex est, una scilicet ex parte intellectus, & consistit in illustratione; altera ex parte voluntatis immediatæ, & in inspiratione, hoc est, in indeliberata voluntatis motione posita est. Nomine tamen gratiæ excitantis, quoties agitur de homine lapso, intelligitur complexum ex utraque; tum quia secunda sine prima esse non potest; tum quia prima in hoc infirmitatis statu, in quo voluntas bonum salutare, quantumvis cognitum, velle non potest, nisi interius & immediatè corroboretur, inutilis & insufficientis foret sine secunda. Quare misericors Deus, quoties operatur in nobis ut bonum salutare velimus, hoc facit illustratione simul & inspiratione.

Porro illustratio & inspiratio sunt intellectus & voluntatis actus necessarii, ad quos scilicet intellectus & voluntas à Deo prædeterminantur & necessitantur. Unde à Conciliis & Patribus dicitur Deus operari in nobis actus illos sine nobis, quia non libere, sed necessariò cooperamur Deo in productione illorum actuum. Illustratio autem consistit modò in vehementibus certorum objectorum apprehensionibus, quibus ad bonum sollicitamur, vel deterremur à malo; modò in iudiciis indeliberatis, quibus aliquid esse faciendum, vel omittendum iudicamus. Inspiratio verò modò est actus indeliberatus amoris Dei, vel alterius boni ad salutem pertinentis, modò actus indeliberatus desiderii faciendi id, quod Deus consulit, vel præcipit; modò actus indeliberatus odii & fugæ circa illud, quod prohibetur à Deo; modò actus timoris gehennæ, vel aliarum pœnarum, quas Deus comminatur peccatoribus; modò actus gratitudinis circa beneficia divina; modò ipse actus salutaris, quem intendit Deus, & ad cuius productionem primam nos prædeterminat, ut illum postmodum, accedente sufficienti advertentia, libere & cum meritò continuemus, &c.

Gratia adjuvans est auxilium transiens, quo Deus voluntatem gratiæ excitanti consentientem adjuvat, seu quo Deus adjuvat voluntatem ad consentiendum gratiæ excitanti, ipsam pulsanti & sollicitanti, hoc est, ad ponendum actum salutarem, ad quem sollicitatur à gratiæ excitante: salutaris enim consensus voluntatis ipsissimus est actus salutaris, ad quem gratia excitans sollicitat voluntatem, à voluntate positus abque antecedenti determinatione intrinseca ad unum.

Gratia autem adjuvans non distinguitur adæquatè à gratiæ excitante, sed inadæquatè tantum: adjuvans enim gratia consistit partim in ipsa gratiæ, qua voluntas pulsatur & excitatur ad actum salutarem, partim in actione, qua omnipotentia divina per seipsam immediatè voluntatem ad operandum complet & applicat. Quod ut intelligas, nota. Voluntas in præienti statu duplicem habet insufficientiam ad ponendum actum salutarem: unam scilicet accidentalem, quam non haberet in statu innocentie; & alteram essentialem, quam proinde non potest non habere in quocumque statu sit. Primam tollit gratia excitans: hæc enim insufficientia oritur partim ex ignorantia, quam expellit illustratio; partim ex infirmitate, quam inspiratio sanat.

Secunda insufficientia tollitur per actionem omnipotentiam per se immediatè agentis in voluntate: Pro quo nota iterum. Voluntas in operando essentialiter subordinatur Deo, tanquam causa secunda causæ primæ: unde ut in actus suos sive supernaturales, sive etiam naturales exeat, essentialiter exigit physicè applicari à Deo ad agendum. Voluntas igitur nec agit, nec agere potest sive supernaturaliter, sive etiam naturaliter, nisi Deus saltem natura prius agat in ipsa, ipsamque, sic agendo, compleat, confortet, & quasi accingat ad agendum. Dico, compleat, confortet, &c. quia Deus voluntatem saltem ad actus liberos non aliter physicè applicat, quam illam actione sua physicè complendo, confortando, & veluti accingendo ad operandum. Indigentia igitur, vel, si vis, exigentia physicæ applicationis, est secunda illa ad

Simonnet Theol. Tom. II.

agendum insufficientia, quam dicimus essentialiter esse voluntati, sicut & cuilibet alteri creaturæ, & quam tollit Deus immediatè agendo in voluntate, eamque actione sua complendo, confortando, & quasi accingendo ad agendum.

Ad eandem gratiam adjuvantem pertinent etiam actio, qua Deus supplet defectum habitus supernaturalis in eo, qui tali habitu destitutus est; & actio, qua Deus cum voluntate producit actum salutarem, supposito quòd hic actus non sit pura modificatio voluntatis, sed sit entitas ab ea realiter distincta. Ex dictis

Collige 1. Eandem gratiam simul esse excitantem & adjuvantem ex parte. Excitans est, qua torpentem voluntatem pulsatur, ut bonum velit; adjuvans verò, qua voluntatem bonum volentem corroborat simul quidem tempore, sed natura prius, quam velit, quatenus voluntas, ab ea pulsata, re ipsa vult bonum dependenter ab ea perseverante, & perseverando ipsam corroborante ad bonum sicut oportet volendum. Gratia autem voluntatem corroborat non solum moraliter, quæ illustratio est, consulendo, suadendo, exhortando, incitando, virtutis pulchritudinem & turpitudinem vitii ostendendo, magnitudinem mercedis, & pœnarum acerbiteram proponendo; sed etiam physicè, quæ inspiratio est; quia, quæ inspiratio, pondus quoddam est contra motum concupiscentialem, quo pondere vel motus concupiscentialis exinguitur, aut minuitur, vel vis ejus eliditur, aut retardatur.

Collige 2. In gratia adjuvante duplicem esse actionem, seu concursum omnipotentiam. Prima actio, qua scilicet voluntas completur & applicatur ad actum, ipsam voluntatem, secunda verò voluntatis actum immediatè attingit. Prima natura prior est, quam actio voluntatis, quia illam cum ipsa voluntate causat; secunda nec prior, nec posterior natura, quia nec causatur, nec causatur ab actione voluntatis, sed solum cum voluntate causatur actum ejus. Prima per voluntatem tanquam instrumentum suum, secunda cum voluntate in actum voluntatis influit, eumque producit.

De utraque gratia, excitante scilicet & adjuvante, loquitur 1. Scriptura Apocalypsi. cap. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso.* (En gratia excitans.) *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum.* (En gratia adjuvans.) 2. Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. cum ait: *Disponuntur ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia & adjuvi, fidem ex auditu concipientes, &c.* 3. S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissa, cap. 18. *Quod ad Deum nos convertimus, inquit, nisi ipso excitante & adjuvante, non possumus, & hæc est bona voluntas, quam scilicet non possumus habere sine auxilio gratiæ excitantis & adjuvantis.* Et lib. de gratia & libero arbitrio, cap. 17. ubi ait: *Sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.* Denique utramque gratiam petit Ecclesia, dicendo: *Actiones nostras aspirando præveni, & adjuvando prosequere.*

Gratia excitans multis gaudet nominibus: nam non solum excitans vocatur, sed etiam præveniens, præparans, operans, præoperans, & vocans. Dicitur excitans, quia voluntates nostras veluti à somno peccati, vel negligentie in bonis operibus exercendis excitat. Dicitur vocans, quia est quædam interna vox, qua Deus nos ad se, & amorem sui, aliarumque virtutum exercitium vocat. Dicitur præveniens, quia prævenit omnem pium & salutarem libertatis usum. Dicitur præparans, quia disponit nos ad bonum usum libertatis, illustrando mentem, & cor tangendo. Dicitur operans & præoperans, quia Deus per eam operatur in homine, sine libera hominis cooperatione, ut postea Deo sic operanti, illustrando scilicet & pulsando, homo libere consentiens actum salutarem, & meritum exerceat.

A 2

Deni-

Denique gratia excitans, qualis nunc datur in hoc statu naturæ lapsæ & vulneratæ, dicitur sanans & medicinalis, quia per inspirationem, quam superaddit illustrationi, corroborat voluntatem contra insurgentes rebellis concupiscentiæ motus, & corroborando sanat nos utrumque ab ægitudine, ex originali peccato contracta, qua bonum fastidimus, & propendimus in malum. Dixi, utrumque: non enim erit perfecta sanitas, nisi in patria, ubi erit perfecta & consummata charitas. Sicut autem gratia excitans, ita & gratia adjuvans pluribus nuncupatur nominibus: nam etiam vocatur cooperans, concomitans, & efficiens; quod explicatione non indiget.

Porro laborant Theologi in explicanda gratia subsequente; & in ejus explicatione varii sunt. Ad hoc breviter dicimus, gratiam subsequentem, juxta mentem S. Augustini, esse gratiam prævenientem, & adjuvantem, prout à Deo continuantur ad exequendum bonum propositum, præconceptum ex auxilio utriusque gratiæ. Nam sic loquitur S. Doctor in Enchiridio, cap. 32. *Utrumque legitur in sanctis eloquiis: Et misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et lib. 2. ad Bonifacium, cap. 9. *Ut incipiamus, dictum est: Misericordia ejus præveniet me, Ut perficiamus, dictum est: Misericordia ejus subsequetur me.* Et inferius eodem cap. *Hominis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.*

Gratia excitans subdividitur in sufficientem & efficacem. Gratia sufficiens est ea, quæ dat quidem posse, sed non dat operari, non ex defectu alicujus auxilii, ulterius requisiti ad operandum, & quod habere, non sit in potestate voluntatis; sed ex defectu ipsius voluntatis, quæ non vult consentire gratiæ, ponendo actum, ad quem sollicitatur à gratia. Gratia autem sufficiens sic dicitur, non quod etiam sufficiens non sit gratia efficax, sed quia carens proprio & specifico nomine, genericum & utrique divisionis membro commune accipit.

Gratia efficax est ea, quæ non solum dat posse, sed etiam ipsum operari, non determinando, aut necessitando voluntatem ad operandum, sed eam ita vocando, quomodo ei aptum est, ut re ipsa sequatur vocantem, eam sic vocando, quomodo ei congruit, ut vocantem non respuat, sicut loquitur S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. Breviter, gratia efficax est gratia certò & infallibiliter connexa cum voluntatis consensu; siue gratia, quæ, si detur, infallibiliter obtinet actum salutarem, ad quem datur, relinquendo tamen actus determinationem in potestate voluntatis.



DISPUTATIO PRIMA.

De Pelagianis & Semipelagianis.

ARTICULUS I.

Exponuntur errores Pelagianorum circa gratiam.

UT facilius intelligatur quid Pelagiani senserint, quantum erraverint, & quanta fuerit eorum inconstantia circa existentiam & naturam gratiæ, juvat Pelagianismum in quatuor status distinguere. Primus itaque status est ille, in quo Pelagiani, nulla facta mentione gratiæ, dixerunt vires naturales liberi arbitrii sufficere ad implenda omnia præcepta, superandas qualvis tentationes, exercenda sicut oportet virtutum omnium officia, & consequendam salutem æternam. Hunc primum Pelagianismi statum colligimus ex sancto Augustino serm. 111. de verbis Apostoli, ubi sic Pelagianos loquentes inducit: *Ipsi fecimus nos, id est, ut iusti essemus, iustos nos libera voluntate fecimus. Quando conditi sumus, libe-*

rum arbitrium accepimus. Ut ergo iusti simus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc Deum invocamus, ut iustos nos faciat, quod habemus in potestate, ut iustos nos ipsi faciamus? Vide Pelagianos totos esse in extollendis viribus liberi arbitrii, omni gratiæ mentione posthabita.

Secundus status est ille, in quo Pelagiani, ut fallerent Catholicos, eorumque offensionem vitarent, liberum arbitrium cæperunt appellare gratiam, eò quod scilicet gratis à Deo, nulloque nostro præcedente merito, nobis in creatione concedatur. Hunc statum describit sanctus Augustinus serm. 11. de verbis Apostoli, ubi de Pelagianis sic loquitur: *Disputantes ergo contra gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & catholicis offensionem, cæperunt horreri, cæperunt ut certa perniciēs devitari; capis de illis dici, quod contra gratiam disputarent. Et invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra gratiam Dei dispuo. Unde probas? Eo ipso, inquit, non contra gratiam Dei dispuo, quod liberum arbitrium defendo. Vide acumen, sed vitreum.*

Tertius status est, in quo Pelagiani à Catholicis objurgati, quod nullam aliam præter liberum arbitrium agnoscerent gratiam, novum gratiæ genus confessi sunt, nempe legem & doctrinam. Patet ex propositione Pelagii: *Gratiam Dei atque adiutorium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina:* quæ propositio est numero septima inter eas, quas Synodus Palæstina damnavit. Legi & doctrinæ addiderunt remissionem peccatorum, ut testatur sanctus Augustinus, & remissioni peccatorum virtutes & exempla Christi; sic tamen ut vellent hanc virtutum & exemplorum Christi, sicut & legis atque doctrinæ, gratiam non esse absolute necessariam, & liberum arbitrium sine illis posse sicut oportet bonum operari, & à malo abstinere. Testatur hoc sanctus Augustinus libro de gratia Christi, cap. 41. Ubi sic ait: *Sed hoc adiutorium legis atque doctrinæ (dicit Pelagius) etiam prophetis fuisse temporibus, adiutorium autem gratiæ, quæ propriè gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratu exemplo, quod nihilominus ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur: ut videlicet tamquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adiutorio nullo alterius indigentes, sufficimus nobis ne deficiamus in via; quamvis & ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse naturæ, sed facilius, si adjuvat gratia.*

Quartus denique status est, in quo Pelagiani præter remissionem peccatorum, & gratiam externam legis & doctrinæ, atque virtutum & exemplorum Christi, admiserunt gratiam actualem internam illuminationis, seu supernaturalem illustrationem. Hoc probant ipsa Pelagii verba, à sancto Augustino relata libro de gratia Christi, cap. 7. *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis ne presentibus occupemur, futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ celestis illuminat.* Idem testatur sanctus Augustinus libro de hæres. 88. ubi hæc habet: *Pelagius à fratribus increpatus, quod nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei ad ejus mandata faciendæ, correptioni eorum hæcenus cessit, ut non eam libero arbitrio proponeret, &c.* At Pelagius non increpabatur à fratribus, quod gratiam externam legis, doctrinæ, & exemplorum Christi non admitteret, hanc enim gratiam admittebat: sed increpabatur, quod præter hanc externam gratiam, non admitteret aliam internam. Cum ergo increpationi cesseret, admisit aliquam gratiam internam. Atqui non admisit gratiam internam inspirationis, ut infra demonstrabitur. Ergo admisit internam illuminationis. Quod eodem loco de omnibus Pelagianis testatur S. Augustinus, his verbis: *Divinis nobis dari scientiam consuevit, quæ ignorantia pellitur.*

Dices.